

circumstantiis eramus obliti) sic excipiunt intus aquam , ut extus ne madeant quidem : cùm bubulæ aquâ multâ , tamet si cautè infusâ , onustæ forinsecus etiam statim humere deprehendantur ; id quod in ternis unâ vice comperimus . Quia tamen interim bubulæ non minùs quàm suillæ , valde licet inflatæ , aërem retinent ; hoc simplicissimo quoque experimento confirmatur id, quod in Auctar. Part. I. p. 81. & sequ. aliunde comprobavimus : *Aquam per angustissimos quosdam corporum poros facilius quam aerem subintrare , tametsi hic illâ sit multò subtilior ; id quod aliam causam quam particularum , utrobiique quidem insensibilium , & in aqua procul dubio majorum , figuram habere non videtur . Aeris nimirum , etsi exiguæ , ramosæ tamen particulæ ad latera pororum angustiorum facilius hærent , & sic aliis sui similibus implicitæ difficilius penetrant , ubi aqueæ , tametsi majores , flexibles tanien & glabræ , motu lubrico facilius elabuntur.*

## TENTAMEN V.

Circa

*Siphonis Reflexi grandioris & alia cognata  
Phænomena.*

### I.

IN Part. I. Tentam. VII descriptimus tubum vitreum A G 36. circiter pedes altum , ejusque Phænomena horumque causas prolixè declaravimus . Ex eo verò tempore , cùm rem eandem , etsi satis laboriosam , iteratis vicibus tentaremus , anno 1675. 1679. & 1681. obtulerunt se quædam alia notatu non minùs digna ; quæ hoc loco commemorare operæ premium fore putavimus .

K 2

II. Ac